ordinationem reformando in aliquibus prout
sequitur. Inmonauit ordinauit siquidem et statuit
ut ipsa domus grandimontis que totius ordinis
noscitur esse caput prioris quod ut prioratus
nomine a suo inicio regebatur de cetero abbatis
et abbatie titulo et vocabulo censeatur et
abbatis electio pertineat ad conuentum de religiosis
vero domibus que in diuersis partibus et regionibus
plures erant sicut habet ordinatum vt xxxix
prioratus collegiati in locis seu domibus prioribus
fierent et facti sunt ex eisdem in quorum
singulorum eligerentur priores singula in collegio
et ad abbatem grandimontensem tamquam ad
superiorem suum eorum confirmatio pertineret
Relique vero domus fuerunt vnite singulis
prioratibus et subiecte nonnullis tamen abbati
et abbatie grandimontensi sine medio reseruatis
¶ Item certis visitatoribus ordinis ab antiquo
institutis vnum superaddidit et quatuor esse
duntaxat statuit et decreuit. Hec autem cum
quibusdam aliis circa dictum ordinem ad eius
reformationem rationabiliter sunt premissa
vt obuiaretur frequentibus scandalis et in
distribuendis domibus et instituendis rectoribus
eorundem maturitas grauior et maior equitas
succederet et voluntaria parcialitas vitaretur quando
non per vnius hominis voluntatem sicut prius sed
per communem electionem plurium canonice fieret
ymmo de personis et in beneficiorum distributione